



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

29 Suspicio vehemens, seu maxima de haeresi, quae dicatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

26 Episcopo, † & Presbytero, alio etiam modo videtur canonica purgatio permiffa, si illi fit aliquod maleficium imputatum, quod pro singulis imputationibus Missam celebrare debeat, & communicare, & de singulis imputatis se innocentem ostendere, quod si non fecerit, quinquennio à liminibus Ecclesiæ extraneus habeatur, ut cap. si Episcopus, ead. 2. quest. 4. Aliis etiam exemplis comprobatur dicta purgatio per eundem Mart. del Rio. eadem. 28 quest. 3.

Sed hodie non est in usu, quia iuxta qualitatem, & gravitatem criminum, servatis de jure servandis, diversis pœnis plectuntur, de quibus supra cap. 35. à num. 1. fere per tot.

27 Alia est etiam † purgatio vulgaris, ut, quæ per duella proponuntur, quæ de jure communi est prohibita. Curt. Iun. conf. 173. num. 1. par. 1. nec unquam fuerunt permiffa, cap. monomachiam, 2. quest. 4. Sed sub gravibus pœnis fuerunt etiam duella à sacro Conc. Trident. prohibita, ut in cap. 19. de reform. sess. 25. post à Gregorio XIII. ut in Bull. Rom. cap. 82. ac postremo à Clem. Papa VIII. ut in suis litteris de mense Septembris anni 1552. expeditis, & impressis. Per ferri candentis indicium, ut, si ex eodem candenti ferro aliqua sequatur adustio, se expurgans, civilem pœnam subire teneatur, ut cap. fin. de purgat. vulg. & gloss. in cap. ex tuorum, de purgat. canon. Per subelectionem gladii percussione, ut factum fuit de scœmina septies icta, de qua in epist. D. Hieronymi. Quæ omnia sunt prohibita, ut tot. tit. de purgat. vulg. quia aliis peccatis præpedientibus quandoque condemnatur, qui de illo, de quo quæritur, esset absolvendus, ut

cap. 2. eod. tit. de purg. vulg. His enim temporibus ob malitiam humanam purgatio canonica periculosissimum est remedium, & ideo præsertim casibus supra expressis non est in usu, & quocunque casu illa ratio est utendum, & cum magna cautela, ut per Ignat. Lop. in annot. ad Diaz præll. crim. 150. in fin. & Pegn. in Direct. Inquisit. par. 2. lib. 2. schol. 11. circ. fin.

Purgatio † autem in causa hæresis, ut plurimum, fit in hunc, qui sequitur, modum: Episcopus, aut Inquisitor, & Vicarius Episcopi, ac assessores, seu consultores periti, in unum conveniunt: & excussis probationibus, reum condemnant ad se purgandum, septem, decem, viginti, vel triginta, plus minusve testibus, & in locis plurimis, vel paucioribus, magis, vel minus insignibus, in quibus fuit diffamatus: qui testes sint suæ conditionis, seu ordinis, ut si diffamatus sit religiosus, & illi sint religiosi: si clericus secularis, & illi clerici seculares: si miles, & illi milites: qui eum à crimine purgant, de quo est diffamatus. Compurgatores enim debent esse homines fidei Catholici, & vita probati, qui, & illius conversationem, & vitam, non tam moderno tempore quam antiquo notam habuerint, c. inter sollicitudines, extr. de purgat. canon. Spreng. in mal. malef. quest. 21: §. sic autem, par. 3. & Pegna in par. 3. Direct. Inquis. comment. 38. vers. in cause purgationis, alias schol. 11. lib. 2. par. 2. & lib. 3. par. 3. Schol. §. vers. in causa purgationis.

Vehemens, † seu magna suspicio ea est, quæ provenit ex signis exterioribus operum, vel verborum, ex quibus accipitur argumentum concludens frequenter: &

- ut in pluribus, quod talia agens, vel dicens est hæreticus, ut si quis negat explicitè, palàm, & publicè ea, quæ debet ex officio scire, plusquam alij, quamvis possit etiam talis negatio ex ignorantia provenire, vel animi levitate, non autem ex hæretica pravitate. Ioann. Gerf. *in tractat. de potest. & considerat. 12.* quem sequitur Pegna *dict. comment. 80. vers. quare Ioannes quest. 55. numer. 4. par. 2.* & facit tex. *in cap. accusatus, in princip. de hæret. in 6.* & plures sunt casus quibus quis vehementer de hæresi suspectus est habendus.
- 30 Primus est, † quando quis vocatus ad respondendum de fide, subterfugit contumaciter se absentando, vel occultando, infra terminum sibi assignatum non comparendo. *cap. cum contumacia, & ibi gloss. in ver. vehementer, de hæret. in 6.* & est excommunicatus; unde si per annum in illa excommunicatione persistit, vehemens suspicio transit in violentam, qua ut hæreticus, quis est condemnandus, *ut per dict. gloss. & Direct. inquisit. qu. 56. num. 5. in fin. par. 2.*
- 31 Secundus, † cum quis directè, vel indirectè scienter impedit Inquisitoris officium. *Direct. Inquisit. ead. quest. 56. nu. 2. per tex. in c. ut Inquisitionis negocium, §. fin. de hæret. in 6.*
- 32 Tertius, † est eorum, qui scienter auxiliium, consilium, vel favorem præstant, impediendis Inquisitoris officium; quia isti, tanquam iniuri, & principalis iudicis mandati in causa fidei contumaces, sicut, & impediendes, excommunicationis sententiam incurrunt. *dict. c. ut Inquisitionis negocium, §. fin.*
- 33 Quartus, † casus est eorum, qui instrunt citatos in causa hæresis de celanda veritate, vel dicenda falsitate, qui ab Inquisitoribus possunt castigari, *cap. accusatus, §. fin. de hæret. in 6. & Director inquisitor. ead. qu. 56. nu. 4.*
- 34 Quintus, † si quis eos, quos scit hæreticos scienter recepat, deducit, visitat, sive associat, ac dona, seu munera eis dat, seu mittit, seu alias favorem eis impendit, *d. c. accusatus, §. illud quoque.*
- 35 Sextus, † si quis in sacramento confessionis ad venerem, vel ad quæque flagitia, seu peccata provocat confitentem, qui Inquisitorum iudicio subijcitur. Pegna *eod. comment. 81. vers. illa quoque.* Et mihi tunc Vicario generali Episcopatus Vercellen. super eodem casu priusquam scripta per præfatum Pegnam vidissem, sacram congregationem Inquisitionis consulenti, Cardinalis S. Severinæ supremus Inquisitor suis familiaribus litteris datum Romæ, 28. Junij 1597. rescripsit, quod à multo tempore citra similes causæ fuerant in sancto officio Inquisitionis discussæ, & ita observari in sancta universali Inquisitione Urbis, omnibusque aliis Inquisitionibus Italiæ & Hispaniæ, ac ubique: quia similia tentantes malè de sacramento pœnitentiæ sentire videntur, & hoc fuisse institutum ad salutem peccatorum, vigore brevium fel. rec. Pauli Papæ IIII, Pijetiam IIII, & Sixti Quinti.
- 36 Septimò, † eadem ratione est suspectus, qui prima uxore vivente, eo sciente, aliam in uxorem ducit. Albert *in tract. de agnosc. assert. quest. 23.* Simanc. *de cathol. institut. tit. 40.* & Pegna *eod. comment. 81. vers. de eo qui.*
- 37 Octavus, † casus est eorum, qui quævis ex Inquisitoribus, advocatis, procuratoribus,